

D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

I.

E SINU MATERNO nondùm eliminatur infans, jam verò sibi in posterùm necessaria, pro diversi generis victu, organa præparantur. Delineata scilicet apparent dentis rudimenta, quæquidem gelatinam vasculis intextam tunc assimilant.



I I.

In margine utriusque maxillæ fœtûs vel infantuli, sub formâ vesiculæ, sive folliculi, dentis cujusque futuri inchoamentum sese offert. Circà quintum sextumve gestationis mensem, hi folliculi osseis septis jam separantur.

I I I.

Cellulosis filamentis, arteriolis, venulis, & nervulis gelatinâ commixtis folliculus quisque penetratur; numerosis autem quam tranant vasis gelatina exhalatur.

I V.

Alveolis, periosteo ac gingivis undiquè totus hic germinum apparatus incarceratur.

V.

Pro *variis intervallis dens gelatinosus solidescit.*

V I.

Adventitii apicis, seu coronæ dentis, ut aiunt, primùm, colli dein, radicis tandem vasorum ope terrea materies advehitur; cujusquidem moleculæ attractionis continuâ vi aggregatæ mucoso quo natant humore coadunantur. Quidquid fluidioris sensìm evanescit, sicque lentiori, citiorive gradu ossea durities comparatur. Ea est pro quolibet dente naturæ constans & æquabilis actio.

A

V I I.

Ex peripheriâ versùs centrum mollis dentium corporis gelatina paulatìm in ſolidam abit. Undè primigenium encauſtum apparet.

V I I I.

Dentis corpore propemodùm abſoluto, radix adhuc deſideratur.

I X.

Radicis oſſificatione vix inchoatâ, dens ad alveoli exteriora ſeriùs ociùſve tendit. Hic mirus lentè prudenterque feſtinantis naturæ labor non niſi poſt longo intervallo penitùs abſolvitur.

X.

Dentes uniuſcujuſque claſſis alternis vicibus ex alveolis ordinatìm erumpunt : circa ſeptimum menſem primi inciſores, maxillæ inferioris ut plurimùm ; alii verò viciſsìm ſuo ordine apparent, ſi caninos excipias qui primis molaribus ſæpiùs ſint origine poſteriores. Sed in inſtabili frequenterque vagâ dentium eruptione certam & conſtantem epocham aſſignare non licet.

X I.

Difficili dentium eruptione plùs minùſve graves apud infantulos morbi procreantur.

XII.

Sic prænuntiatur dentium exitus : gingivæ tument & dolent, os ardet, copiosior saliva fluit, siti laborat infans, anxius clamitat, calida fastidit alimenta, fame tandem & somno privatur.

XIII.

In laboriosâ dentium eruptione symptomata ingravescunt ; febris, vomitus, alvi tormina profluviumque, convulsivi motus etiam conjunctìm modò ; modò seorsìm accedunt.

XIV.

Densiori, nimiùmque renitenti gingivarum textui, nec non citiori dentis accretioni, prædicta accidentia plerique tribuêre Practici. Nervos in dolore molliores, debiliorem, aut validiorem infantuli habitum, vel etiam hæreditariam labem nonnulli incusârunt. Alii tandem insalubri victui, plethoræ cuilibet, humorum acrimoniæ, nutritiive succi abundantiæ accidentium causas delegârunt.

XV.

Hisce de causâ mali excogitatis, gingivas emollientibus relaxare, quin etiam eas incidere venit in mentem, ut, soluto retinaculo, facilior denti exitus præberetur. Alia propemodùm innumera omittamus remedia, cùm de Chirurgicis tantùm hîc agatur.

X V I.

GINGIVÆ ſectionis auxilio obſtaculum frangere non ſemel, ſed fruſtrà, Chirurgi tentârunt. Inciſione enim prudenter inſtitutâ, nec ſymptomata debellari, nec etiam ab orci faucibus infantulos eripi pluries expertis conſtat.

X V I I.

DENTIS ægrè prodeuntis extractio à nonnullis propoſita tanquàm malo pejor prorsùs rejiciatur.

X V I I I.

NON niſi incertam aut vanam, adversùs dentium eruptionis accidentia medelam, tùm medica, tùm chirurgica Therapeutice hùc uſque adhibuiſſe videtur.

X I X.

QUIBUS de inefficaci medelâ poſitis, gingivarum exciſionem ſimplici earum ſectioni anteponendam autumamus, celebrandamque aſſerimus.

X X.

GINGIVÆ portiunculâ quâ corona dentis obtegitur ademptâ, partium renixus aufertur, amplior faciliorque via ſtatim fit: hìnc gingivæ detumeſcunt; nervorumque diſtentio ac irritatio ceſſant. Hìnc etiam totius œconomiæ conditio ad meliorem reducitur.

XXI.

PROMINENTIA versùs apicem albidâ, ad basim verò rubescente, mox erupturi dentis simul ac mali sedes satis designatur; ibique excisionem celebrare operæ pretium est.

XXII.

IN excisione propositâ hæmorrhagiæ metus exulet.

XXIII.

MODERATA sanguinis effusio hîc desideratur, operationique favet. Locales, necne, sanguinis missiones in hisce casibus præcipuè suadent *Sydenham*, aliique artis medendi Antistites. Quodnam enim, inquiunt, efficacius præsentiusque difficili dentitione laborantibus infantulis, nisi per depleta vasa, remedium afferre valeamus? Quod si, peractâ excisione, sanguis immoderatiùs efflueret, molli compressione absque negotio mox sisteretur.

XXIV.

POST gingivarum excisionem vulnus brevì sanescit. Ex omnibus hisce argumentis, in difficiliori dentium eruptione tanquàm præstantior habeatur, instituaturque excisionis usus.

HAS positiones, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE-JOSEPHO DUBOIS-FOUCOU, Odontiatro, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur *JOSEPHUS-STEPHANUS ANDRAVI, è loco* Barême, *Diœcesis Sanitiensis, in almâ*

Universitate Parisiensi Artium Magister, nec non Facultatis Medicæ Nanceianæ Doctor.

Die Sabbati, 13 Octobris, anno Salutis 1781, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

IN REGIIS CHIRURGORUM PARISIENSIUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Citharcâ.

M. DCC. LXXXI.